

men in usu caeremoniarum vel sacrarum vestium cum exteriori fictione cultus, non potest separari falsa professio ab externa fictione facta per modum cultus, quia eo ipso est usus talis rei per modum signi, ac subinde per modum falsi signi, ut latius tractatur 2. 2, q. 2. Neque apparet probabilis differentia quæ inter hanc et illam personam, vel inter hoc et illud tempus assignari possit; videlicet, quod nunc sit magis publica et evidentior repugnantia caeremoniarum veteris legis cum Evangelio, quam tunc esset: parum enim hoc refert, et per accidens est ad malitiam actus secundum se spectati. Eo vel maxime quod ipsi Judæi, etiam tempore Apostolorum, directe æmulantur caeremonias legis adversus libertatem Evangelii; ergo etiam tunc fictio illarum caeremoniarum fuisset contraria professioni fidei, si jam erant perniciosæ.

15. Quocirca ratio hæc urgentissima est, supposito illo principio a Hieronymo posito, neque mihi videtur posse probabiliter solvi nec a peccato excusari illa ficta simulatio illo modo explicata. Neque exempla quæ pro sententia Hieronymi in ejus tertia propositione afferuntur, sufficiunt ad illam simulationem excusandam. Nam priora facta Christi Domini, Josue, et similia, sunt facta humana, quæ per se non instituuntur neque ordinantur ad significandum, sed habent alios usus et fines propter quos honeste fieri possunt sine significatione falsa, et occultando aliquam veritatem quam operans manifestare non tenetur, et ita solum ibi est simulatio materialis, quæ nomine prudentis fictionis solet significari. Secus vero est in caeremoniis falsæ vel prohibitiæ religionis, quæ ex primaria impositione significant professionem ejus, et occultant veram religionem, quam quis profiteri tenetur. Unde ad factum Jehu respondet D. Thom. 2. 2, q. 111, art. 2, non esse necessarium excusare illum a peccato, quia malus fuit et idolorum cultor, quod recte dictum est. Præsertim quia ille non tantum facto, sed verbis aperte mentitus est, dicens: *Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius*; et infra: *Sacrificium grande est mihi Baal*. Dicitur autem ibi recepisse a Deo retributionem temporalem, quia zelum aliquem habuit destruendi cultum Baal, ut ibidem dicit D. Thom. Ait autem Abulens., 4 Reg. 10, q. 26, illud mendacium Jehu non fuisse peccatum mortale, sed veniale. Ad exemplum autem Naaman, responderi facile potest Eliseum non approbasse vel excusasse factum Naaman; certumque est non dedisse il-

li licentiam fingendi idololatriam, cum hoc sit intrinsece malum. Neque hoc significant verba Elisei dicentis: *Vade in pace*. Fuit ergo quædam permissio et significatio voluntatis orandi pro illo Domino, si tale peccatum aliquando committeret. Addit vero Abulens. ibi, q. 25, Naaman non voluisse fecte adorare idolum, sed solum cum domino suo genua flectere, non ad idolum, sed ad dominum suum, et ad ministrandum illi in suo munere, quod etiam est probabile. Ad alia vero quæ de facto Petri ibi afferuntur, et de factis etiam Pauli, dicemus commodius in sequentibus, præter ea quæ jam attigimus. Propter quæ omnia alii qui conantur exponere Hieronymum, ut non loquatur de cultu ita ficto, sed de vero, et Apostolis licito ex vi alicujus dispensationis, aut justæ interpretationis, ita ut simulationem dispensatoriam appellet usum, qui solum ex occulta dispensatione licebat. Quod insinuare videtur Hugo Card. ad Galat. 2, qui dicit inter Augustinum et Hieronymum esse contradictionem in verbis et non in re: nam Augustinus negat simulationem realem; Hieronymus vero exponit simulationem dispensatoriam, et ita non loquuntur de eadem simulatione. Simulatio autem realis in præsentem esset illa quæ fieret sine intentione cultus; ergo sentit Hieronymus non posuisse istam, sed aliam, quæ, licet fieret cum intentione colendi, eam vocavit simulationem dispensatoriam, quia solum ex occulta dispensatione licebat. Sed hæc fuga, et aliena est a mente Hieronymi, ut constat ex rationibus et exemplis ejus, et quia non in hoc sensu usus est nomine dispensationis, ut supra ostendi, et est manifestum in Epistola ejus. Est etiam gratis conficta, et sine fundamento, quia impropriissime vocatur illa simulatio: nam qui operatur rem prohibitam ex dispensatione in lege, non simulat etiamsi dispensatio occulta sit. Et præterea interrogo, si usus illarum caeremoniarum erat tunc simpliciter prohibitus, unde constare possit Deum in illa prohibitione specialiter cum Apostolis dispensasse. Vel si dispensatio non fuit specialis, sed generalis pro omnibus fidelibus in similibus occasionibus, frustra fingitur prohibitio pro illo tempore, meliorque providentia fuit pro illo tempore simpliciter non prohibere talem usum, quia communis plebs non valebat discernere justam occasionem, vel necessitatem exercendi tales caeremonias. Et declaratur amplius, quia vel ille usus illarum caeremoniarum ex intentione cultus erat prohibi-

tus, quia malus, et sic non poterat fieri licitus ex fine extrinseco, et dispensatio in illo, vel non erat possibilis, vel certe non est verisimile tam facile fuisse concessam: vel erat malus, quia prohibitus, et sic procedit ratio facta, quod frustra fingitur prohibitio cum tam ampla dispensatione, præsertim cum nullo testimonio ostendi possit talis prohibitio positiva pro illo tempore, et hunc discursum latius circa sequentem assertionem prosequemur.

16. Retento ergo priori et communi sensu simulationis seu fictionis dispensativæ, præter rationem ab inconvenienti sumptam, et quia per se videtur indecens talem fictionem in talibus et in tali materia admittere, directe ostendere possumus, ex Actibus Apostolorum, in eorum caeremoniis inventam non fuisse. Nam in cap. 19 Actor. Paulus totondit se in Cenchris, quia votum habebat: nam quod fit ex voto, non fit simulate, nec etiam tunc factum est ex necessitate ad tollendum aliquod scandalum Judæorum, sed per se factum est ad votum implendum, et consequenter ut res religiosa, et digna voti materia. Scio aliquos interpretari locum illum de Aquila, et non de Paulo, sed non refert; tum quia etiam Aquila in eo non peccasset; tum etiam quia expositio de Paulo fortasse est probabilior, eamque Hieronymus supponit. Scio etiam aliquos dixisse tonsuram illam non fuisse caeremoniam legalem, neque ea intentione fuisse voto promissam, sed propter aliquam corporis humilitatem vel mortificationem. Hoc tamen imprimis non valet ad defendendam sententiam Hieronymi, nam ipse allegat illum locum inter ea quibus probat Paulum caeremonialia exercuisse. Et consentit Augustinus, et fere omnes auctores id pro certo supponunt, neque aliud habet fundamentum in textu, vel in materia ipsa, quæ secundum se sumpta videtur valde indifferens, et inepta ad votum et ad corporis afflictionem et ad Dei cultum, seclusa institutione ratione ejus ad religiosam caeremoniam pertinere.

17. Præterea hoc confirmat alter locus Actor. 21, ubi Jacobus et seniores consilium dederunt Paulo, ut purificaretur, etc. Nam loquebantur sine dubio formaliter de caeremonia legali, et non sub alio titulo, vel mortificationis, vel simulationis, ut patet simili argumento; dicunt enim: *Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se*, utique de sanctificatione legali facienda; et addunt: *His assumptis, sanctifica te cum illis*; et postea de Paulo additur: *Purificatus cum illis intravit*

in templum, etc.; et iterum c. 24 ipse ait: *Invenimus me purificatum in templo*; ergo vere fecit illam caeremoniam legalem, sicut alii: nam hoc etiam in rigore significat nomen *purificationis*, et idem argumentum summi potest ex nomine *oblationis et voti*, nam unumquodque in sua proprietate sumendum est, nisi aliquid necessario obstet. Denique expendenda censeo in cap. 21 illa verba Jacobi, ubi postquam sententiam suam dixerat circa libertatem a legalibus, subjungit: *Moses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur*. Nam per hæc verba aperte significare voluit non fuisse pro tunc factam mutationem in legalibus, saltem quoad legitimum usum illorum respectu Judæorum etiam conversorum ad fidem, ac subinde licitum eis fuisse illorum usum proprium et legalem, et ideo ad solos Gentiles scribendum fuisse: nam Judæi per ipsiusmet legis doctrinam paulatim instruendi erant, et ab usu legalium abstrahendi, ut recte Chrysostomus notavit, et idem etiam Beda sentit, et moderni sequuntur; hoc ergo modo approbatus est tunc ab Apostolis talis usus, ergo eodem modo est ab eis interdum usurpatus.

18. Secundo, hinc colligit Augustinus caeremonialia legis non fuisse a principio Evangelii mortifera, sed aliquo tempore fuisse licita, post aliquod vero tempus facta esse mortifera. Hæc est manifesta sententia D. Augustini citatis locis, quam secutus est Beda ad Galat. 2, et ibidem Nicolaus de Lyra, et Hugo de Sancto Victor., lib. 2 de Sacram., p. 6, cap. 4, et lib. Quæstionum in Epist. ad Galat., cap. 6; D. Thom. ad Galat. 2, et 1. 2, q. 103, art. 4, ad 1, et ibi Cajet. et alii communiter; Soto, lib. 2 de Just., q. 5, art. 4; Victor. in summa quarti agens de Baptismo, a princ. usque ad q. 11, et eandem sententiam secuti sunt communiter scholastici antiqui in 4, d. 3, ubi Bonav., art. 5, q. 2; Scot., q. 4; Aur., q. 4, dub. 3, et magis inclinatus Major., q. 1. Item Richardus in 4, dist. 1, art. 6, q. 4; Palud., q. 6; Gabr., q. 4, a. 4, dub. 3, et Joan. Arbor., tom. 1 Theosoph., lib. 3, c. 20; ac denique moderni fere omnes, tam scholastici, quam exponentes c. 2 ad Gal. et loca Actorum sæpe citata, hanc sententiam approbarunt. Est autem hujus sententiæ sensus, legem veterem non fuisse mortiferam statim a passione vel resurrectione Christi, neque a die Pontecostes, nec per plures annos

post inchoatam promulgationem Evangelii, etiam in illis locis, civitatibus, vel provinciis in quibus jam erat divulgatum et obligari incooperat. Ita explicant dicti auctores. Et videtur probari sufficienter ex dictis in propositione præcedenti, nam si Apostoli exercebant legalia, non fecte, sed ex intentione cultus, recte a posteriori infertur non fuisse prohibita, nec intrinsece malâ seu mortifera; quia certum est non peccasse nec errasse Apostolos in illo usu; tum quia si peccassent, illud fuisset peccatum grave, ut ostensum est, quod repugnat confirmationi Apostolorum in gratia; tum etiam quia redundasset in commune lapsum Ecclesiæ illius temporis, et non solum in moribus, sed etiam in doctrina, quia Ecclesia illo tempore communiter sentiebat id esse licitum. Et hoc modo videtur mihi probari hæc pars satis efficaciter ex locis Act. 15 et 21, si attente expendantur, ut illa in fine præcedentis puncti ponderavimus.

19. *Ratio a priori.* — Ratio vero a priori est quia, ut illæ cæremoniæ non sunt factæ intrinsece malæ ex vi mortis, vel resurrectionis Christi, neque ex vi obligationis novæ legis introductæ in aliquibus locis per inchoatam promulgationem Evangelii in eisdem locis, neque etiam erant tunc malæ, quia jam prohibita pro illo tempore; ergo non erant mortifera. Prima pars probatur, quia nulla est ratio quæ talem intrinsecam malitiam ostendat, quod non potest melius probari quam respondendo ad rationes adductas in secunda propositione Hieronymi. Ad primum enim negamus talem usum legalium fuisse pro illo tempore injuriosum Christo aut gratiæ ejus; non enim fiebant tunc legalia, quia putarentur necessaria ad salutem, ac si gratia Christi, ejusque fides et observatio legis gratiæ non sufficeret, sed retinebantur tantum ad cultum Dei et honorem ejusdem legis, ne videretur tanquam mala subito reprobati, ut Augustinus docuit. Ad secundam, similiter negamus illas cæremonias falsum aliquid tunc significasse, alias circumcisio, et multæ oblationes, et sacrificia fuissent mortifera ante Christi mortem, quod nemo dicit, nec dici potest. Sequela autem patet, quia illæ cæremoniæ significabant aliqua mysteria Christi ut futura, quæ jam erant facta. Dicendum ergo est (sicut supra de circumcissione diximus) cæremonias illas eo tempore retinuisse rationem litteralem et significationem moralem quæ erat quasi fundamentalis in illa institutione, et ita adhuc continebant cultum legitimum Dei, et signi-

ficabant subjectionem et reverentiam illi debitam, et interiorem cultum, et sanctificationem a peccatis, et illorum poenitentiam, vel recognitionem beneficiorum Dei, et similia quæ in omni tempore locum habent. Quod vero attinet ad significationem Christi et mysteriorum ejus, vel jam illam non habebant, quia finita jam erat intentio imponentis quoad hanc partem, vel certe, ex intentione offerentium explicita vel implicita, illa significatio poterat abstrahi a differentia futuri temporis, et significare mysteria quoad substantiam et existentiam eorum pro aliquo tempore, abstrahendo ab hoc quod jam essent vel non essent facta. Sicut in materia de Fide dicitur, et insinuat D. Thom. 2. 2, quæst. 1, art. 3, ad 3, Judæum in nocte nativitatis Christi credentem Messiam esse venturum, potuisse ex fide credere, abstrahendo a differentia futuri temporis, quatenus includit negationem rei jam factæ, quæ abstractio multo facilior est in factis quæ incomplexè significant, quam in vocibus complexè significantibus.

20. *Objectio.* — *Responsio.* — *Tertia ratio Hieronymi statim explicanda.* — Dices: ergo jam non fiebant illæ cæremoniæ ut legales, quia non fiebant propter significationem futurorum a legislatore intentam. Respondetur imprimis satis esse quod fieret ex institutione illius legis, licet non fierent secundum omnem significationem. Sicut circumcisio Christi et purificatio Virginis legales fuerunt, licet non significarent in illis personis totum id quod in aliis significabant. Satis ergo est quod retinerent significationem moralem, et quasi litteralem, et fundamentalem, et quod figuralem participarent, prout esse poterat temporis et personæ accommodata. De tertia autem ratione Hieronymi statim dicam: neganda est enim sequela, nimirum etiam nunc illas cæremonias non esse mortiferas; est enim longe diversa ratio de tempore post sufficienter prædicatum Evangelium, et de illo priori: nam postea facta est prohibitio, ut dicemus, et Synagoga cum sufficienti honore sepulta fuit. Denique ad quartam rationem de indifferentia actionum, respondemus, cum Augustino, cæremonias illas quoad bonitatem et malitiam fuisse indifferentes seclusa institutione, post illam vero fuisse de se bonas, et nihilominus potuisse esse indifferentes quoad obligationem, quia potuerunt non præcipi nec prohiberi, et hunc statum habuerunt pro illo tempore, ut magis ex resolutione sequentis capitis constabit.

21. Superest probanda altera pars de prohibitionem positiva, quæ sufficienter etiam ostenditur per solam negationem, scilicet, quia talis prohibitio pro illo tempore facta in Scriptura non habetur, nec aliqua historia aut probabili testimonio suaderi potest. Et præterea non erat tunc necessaria, imo nec consentanea suavi providentiæ Dei, quia, ut Augustinus recte dicit, non expediebat tam subito fieri prohibitionem illam, ne cæremoniæ legis ita abominabiles existimarentur, sicut cæremoniæ Gentilium. Item quia erat difficultum tanta celeritate avellere totum illum populum ab antiqua consuetudine, quæ illis maxime cordi erat, et alioqui non erat contrarationem naturalem, et sine inconvenienti tollerari poterat. Denique quia fieret multo difficilior conversio Judæorum ad fidem Christi, sine sufficienti causa. Et hæc rationes satis insinuantur in Actibus Apostolorum, præsertim in cap. 21. Sicut enim propter similes rationes Apostoli exercebant legalia, et ex illo facto colligimus non fuisse tunc prohibita, ita etiam credimus, ob easdem causas, prohibitionem fuisse dilatam.

22. *Dubium.* — Sed quæret aliquis an hæc pars intelligenda sit de solis Judæis, vel etiam de gentibus; interdum enim auctores significant esse distinctionem constituendam inter Judæos et Gentiles. Nam Judæis permittebantur legalia eo tempore, quia a parentibus illa acceperant, et solemniter consuetudine ea servaverant, et a Deo receperant, ideoque difficile poterant subito ab eis moveri, ut dixi. Hæc autem rationes non habent locum in Gentilibus, et ideo usus legalium semper et a principio censetur illis prohibitus, quia irrationabile videbatur denuo profiteri legem jam mortuam. Item quia non poterant licite misceri cæremoniis Judaicis, nisi assumpta prius circumcissione, quæ erat professio totius legis: nam illa professio non poterat recte convenire cum professione Baptismi, ad quam principaliter obligabantur. Et hanc differentiam inter Judæos et Gentiles suadere videtur alia differentia, quæ ex Scriptura observatur inter Timotheum et Titum: nam Timotheum ex parte Judæum facile circumcidit Paulus, Actorum decimo-octavo; Titus vero pure Gentilis non est permissus circumcidi ab eodem Paulo, etiam compellentibus falsis fratribus, ut dicitur ad Galatas secundo: nam hoc ideo factum videtur, quia circumcisio, quæ tunc permittebatur Judæo, jam prohibebatur Gentili. Et hoc sensit ibi Salmer., disp. 22, ad 7, dicens

Titum et Gentilem quemcumque, non solum non potuisse tunc cogi ad circumcissionem, verum etiam nec licite circumcidi, licet vellet. Quod videntur etiam confirmare illa verba ad Gal. 5: *Ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit;* ibi enim Paulus ad solos Gentiles loquebatur, et simpliciter loquitur de circumcissione legali, sine alia restrictione; ergo absolute indicat jam fuisse illis prohibitam. Unde Salmer. supra, dist. 23, ex sententia Augustini, dicit in illo primo tempore licuisse Judæis uti legalibus, non vero gentibus.

23. In contrarium vero multa sunt quæ suadeant non magis fuisse perniciosam observationem cæremonialium conversis ex gentibus quam conversis ex Judæis pro eo tempore. Primo, quia etiam gentibus non erat intrinsece mala talis observatio, neque invenitur illis specialiter prohibita. Prior pars probatur, quia nulla est ratio specialis, quæ probet hanc intrinsecam malitiam respectu gentium magis quam respectu Judæorum. Item quia illæ cæremoniæ continebant cultum veri Dei ab ipso met approbatum, et per se non repugnantem veritati Evangelii pro eo tempore, id est, si non admiscerentur alii errores (quod erat per accidens): ergo usus illarum de se non habebat intrinsecam malitiam, etiam respectu fidelium ex gentibus conversorum. Altera vero pars probatur, quia nullibi invenitur talis prohibitio positiva; nec conjecturæ factæ quoad hoc cogunt, quia licet in Judæis fuerint plures rationes speciales, ut pro illis non statim fierent legalia mortifera, nihilominus pro Gentilibus sufficit generalis ratio, quod antea poterant licite profiteri illam legem: unde si, pro illo tempore quo jam incipiebat lucere Evangelium, aliquis Gentilis nondum Christianus fieret proselytus Judæorum, in hoc non peccaret, quia non erat illi facta specialis prohibitio: ergo licet id faceret post susceptam fidem Christi non peccaret, dummodo non faceret ex falsa fide, ponendo ibi spem salutis, vel existimando esse sibi necessarium, quia per se etiam respectu illius non invenitur prohibitum.

24. Et confirmatur, primo: nam Actor. 15, ubi in Concilio Apostolico ex professo tractatum est de usu legalium respectu gentium, solum declaratum est non fuisse nec esse illis necessarium, ut patet ex verbis decreti: *Visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, etc.*, quibus necessitas tollitur, vel nulla esse declaratur; non tamen

prohibitum ibi est Gentili, quin si voluntarie vellet tale onus assumere, posset id facere. Et in Epist. ad Galat. semper damnatur asserere hoc esse necessarium gentibus, vel cogere gentes judaizare: voluntaria autem professio pro illo tempore nullibi damnatur. Confirmatur secundo: nam Hieronymus, affirmans legalia fuisse mortifera a principio, indifferenter de Judæis et de Gentilibus loquitur; Augustinus vero, id negans, et e converso affirmans pro illo primo tempore fuisse licita, simpliciter etiam loquitur sine distinctione inter Judæos et gentes, nullibi enim invenio talem distinctionem fecisse. Imo solumque in dicta Epist. 19, versus finem, sic inquit: *Illa quæ significationis causa præcepta sunt, circumcisio, etc., quæ, revelatione gratiæ latius innotescente, necesse fuerat aboleri, non ideo fuerant tanquam diabolica gentium sacrilegia fugienda, etiam cum ipsa gratia jam cæperat revelari, quæ umbris talibus fuerat renuntiata, sed permittenda paululum eis, maxime qui ex illo populo, cui data sunt, venerant.* Ubi expendo illam particulam *maxime*, quæ indicat, non solis Judæis id esse permissum, licet eis maxime.

25. Clarius tamen videtur hanc sententiam docere Augustinus in exposit. Epistol. ad Galatas, circa illa verba: *Sed neque Titus, etc.*, sic dicens: *Quamvis Titus Græcus esset, et nulla eum consuetudo aut cognatio parentum circumcidi cogeret, sicut Timotheum, facile tamen etiam istum circumcidi permisisset Apostolus. Non enim tali circumcissione salutem dicebat auferri, sed, si in ea constitueretur spes salutis, hoc esse contra salutem ostendebat. Poterat ergo ut superfluum æquo animo tolerare. Propter introductos autem fratres non est compulsus Titus circumcidi, quia cupiebant circumcidi Titum, ut jam circumcissionem, etiam ipsius Pauli attestatione et consensione, tanquam salutis necessariam prædicarent.* Clare ergo sentit Augustinus in hac sententia per se licitam fuisse circumcissionem Tito, licet propter scandalum vitanda esset, ubi occurreret.

26. *Resolvitur dubium.* — Hæc ergo posterior pars, si de rigore jûris, ut ita dicam, seu præcepti prohibentis loquamur, videtur magis de mente Augustini, et in se probabilior. Quia rationes factæ ostendunt nullam factam esse prohibitionem ob quam fuerint eo tempore legalia mortifera gentibus. Nihilominus tamen, si conjectemus id quod moraliter accidere tunc potuit, verisimilius est Gentiles fideles bene in fide evangelica instructos lega-

libus abstinuisse, quia moraliter putabant sibi non licere, saltem per accidens. Quia certo sciebant non esse sibi necessaria, unde cum alias essent nimis onerosa, et præcipue circumcisio, non poterant illa assumere, nisi suspicionem dando quod reputarent illa sibi necessaria, et ita in eis id habebat saltem speciem mali, propter quam facile existimare poterant id sibi non licere, vel etiam propter scandalum, vel ne cooperarentur errori Judæorum, qui hanc necessitatem illis imponere tentabant. Unde etiam potuit consuetudine fidelium ex gentibus venientium introduci quædam obligatio abstinendi ad hujusmodi ritibus judaicis. Dixi autem *fidelibus in fide bene instructis*, quia per ignorantiam invincibilem contingere poterat (præsertim ante Concilium Apostolorum) ut aliqui conversi ex gentibus ad fidem exercerent legalia, existimantes sibi esse necessaria, et cum excusatione ab hoc errore propter invincibilem ignorantiam; seclusa autem hac existimatione pauci, ut existimo, aut nulli spontanee circumcisi sunt, et hoc probat exemplum de Tito, et alia superius adducta.

CAPUT XVIII.

SATISFIT DUOBUS DUBIIS EX SUPERIORI RESOLUTIONE INSURGENTIBUS.

1. *Dubium.* — Diximus in præcedenti capite, cum Augustino, legem veterem fuisse mortiferam aliquo tempore post inchoatam Evangelii prædicationem; statim ergo occurrit interrogandum quod vel quale fuerit illud tempus. De hoc enim puncto Augustinus nihil in particulari quæsit aut resolvit, sed solum generaliter dixit, aliquo tempore post inchoatam promulgationem Evangelii, vel post integram promulgationem ejus per Apostolos factam, cœpisse legalia esse mortifera. Unde theologi supra citati fatentur tempus hoc esse incertum, quia neque habemus Scripturam divinam quæ de hoc tempore loquatur, neque aliquod Concilium in quo tempus hoc fuerit declaratum, sed solum per traditionem ecclesiasticam id habetur, ex qua non habemus quidem certum diem, mensem, aut annum hujus inittii, sed solum non longe distasse ab initio prædicationis Apostolorum. Et communiter verisimilius creditur quadragesimo anno a passione Christi vel circa incœpisse, vel a destructione templi per Titum et Vespasianum. Neque huic sententiæ obstat quod scribit

Ignatius, epist. 8 ad Philip. in fine: *Qui cum Judæis celebrat Pascha, aut symbola festivitatis eorum recipit, particeps est eorum, qui Dominum occiderunt et Apostolos ejus: quod sine dubio scriptum fuit eo tempore quo jam legalia erant mortifera, ut ipsa verba ostendunt: sed non obstat, quia Ignatius vixit fere usque ad nonagesimum annum post passionem Christi. Videtur autem ex dicta sententia sequi viventibus Apostolis Petro et Paulo legalia nondum fuisse mortifera, cum ipsi non vixerint integros quadraginta annos, sed triginta et quinque, et ad summum triginta sex post Christi ascensionem.*

2. *In tempore Apostolorum legalia fuisse mortifera.* — Nihilominus verisimile est, viventibus Apostolorum Principibus, jam fuisse in Ecclesia sufficienter intellectum ac præceptum non solum non oportere servare legalia, sed etiam esse perniciosum, et ideo ab ipsismet Apostolis fuisse hoc declaratum vel traditum, quia valde conveniens fuit tam necessarium dogma ab eis relinqui sufficienter introductum et fundatum. Accedit quod eo tempore jam erat sufficienter promulgatum Evangelium, dicente Paulo ad Roman. 10: *Sed dico, numquid non audierunt? et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in omnes fines terræ verba eorum.* Nam licet controversum sit quo sensu sint hæc verba intelligenda, et an verbum illud *audierunt* in rigore præteriti vel generalius sit sumendum, nihilominus certum est ante tempus mortis Apostolorum Petri et Pauli fuisse prædicatum Evangelium in præcipuis mundi partibus, et ita in toto illo legem Christi promulgatam fuisse juxta illud Pauli ad Colossens. 1: *Audistis in verbo veritatis Evangelii, et quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat.* Et infra: *Quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cælo est.* Quia licet fortasse non ad omnes omnino mundi provincias verbum Evangelii tunc pervenisset, ut infra dicam, nihilominus tempus illud sufficiens erat ad divulgationem ejus per totum mundum, quod satis est ad consummatam promulgationem, juxta doctrinam generalem superius datam, quam etiam libro sequenti ad legem novam applicabimus. Multo vero certius est promulgationem Evangelii pro Judæis factam esse sufficientissime intra illud tempus, imo et de facto pervenisse ad omnes orbis provincias in quas erant dispersi Judæi, et ubicumque lex Moysi ab eis servabatur, ac subinde tempus illud triginta sex annorum, paulo

amplius minusve, sufficientissimum fuisse ut lex illa cum honore sepeliretur et omnino aboleretur; ab illo ergo tempore cœpit illa lex esse mortifera.

3. *Dubium: quo jure lex illa facta fuerit mortifera.* — Statim vero insurgit alia interrogatio, quo nimirum jure, divino, scilicet, vel humano, lex illa facta sit mortifera. Nam, ut dixi, illa non est facta mortifera per solam abrogationem ejusdem legis, nam abrogatio, ex vi sua et in genere loquendo, tollit obligationem legis abrogatæ, non vero prohibet, aut mortiferam facit observantiam ejus quasi materiale, seu perseverantiam in usu per legem illam introducto; ergo idem dicendum est de illa lege. Deinde non sunt facta perniciose legalia per solam introductionem legis novæ, quia in Judæa et in multis aliis provinciis introducta est et obligavit, et non fecit statim mortifera legalia; ergo, quantum est ex vi illius legis, alia durare potuisset pro toto orbe et pro quocumque tempore, quia non est major repugnantia. Oportet ergo ut cæremonialia legis facta sint mortifera per novum jus prohibens illorum usum. Quale ergo est tale jus? Non enim est jus divinum naturale; maxime enim fuisset illud, quod nasci potuisset ex significatione futurorum, quæ jam erant impleta. Hæc autem ratio insufficientis est: ergo. Major patet, quia, remota illa significatione, nihil invenitur in his cæremoniis per se malum, alioqui nunquam potuissent præcipi aut exerceri; sunt ergo per se indifferentes, si eis non addatur aliqua significatio quæ falsitatem includat in qua sola illa ratio fundatur: ergo, illa seclusa, nulla superest ratio ob quam dicamus cæremonias illas factas esse intrinsecè malas ex vi legis gratiæ sufficienter et integre promulgatæ. Quod autem illa ratio non cogat, est manifestam ex supra dictis, quia illa significatio est separabilis ab illis cæremoniis, etiam factis formaliter, ut in multis accidit ante Christi mortem, et in pluribus vel omnibus post mortem ejus, et post inchoatam promulgationem Evangelii: ergo nulla ratio superest ad dicendum hanc prohibitionem esse juris naturalis.

4. *Urgetur idem dubium.* — Neque etiam dici potest esse juris divini positivi, quia in Scriptura non invenitur talis prohibitio a Deo facta, neque est testimonium ex quo colligatur cæremonialia esse mortifera, nisi illud ad Galat. 5: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit;* quod tamen ab Augustino ex-